



A V T O R B E N E V O L O L E C T O R I
Salutem.

Si cupis scire rationes mei propositi, Lector candide, quare post multos hanc conscripserim Arborem Iudicariam, conscriptam vero in publicum emiserim, tibi eas propalabo. Notum est, requiri in eo, qui in altissimo Iuris Oceano nauigare vult, tria. Primo caput ferreum, secundo culum plumbeum, & tertio crumenam auream. Quia verò multi hoc tertio requisito, nimirum, aureâ carent crumenâ, ita ut ipsis impossibile sit, copiam librorum sibi comparare, qui in nostrâ facultate maximè cari sunt, ideoque in usum eorum, qui plurimos libros coëmere nequeunt, hanc collegi Arborem Iudicariam, ubi ex omnibus illis, qui de Processu scripserunt, & materias ad Processum Iudicarium pertinentes tractarunt, excerpti maximè necessaria & utilia, superflua rese cans. Ad hæc ex Mascardo de Probationibus, itemque ex Menochio de Præsumptionibus, ea, quæ semper & quotidiè ferè occurunt, collegi. Non solùm autem eis, quibus aurea deest crumena, hæc Arbor nostra prodest, verùm etiam illis, qui copiam librorum sibi comparare possunt, maximo est usui. Si quis enim aliò ad amicabiles compositiones, auff gütliche Taglaistung oder Tagfahrt vocetur, atque copiam librorum ad manus habere, vel multis se onerare in itinere libris nequeat, is autem sciat, eo loci, in quem vocatur, fortè aliquid ratione Processus occurrere, hunc librum facilè secum sumere poterit. Noli tamen tibi interim persuadere, me in dicta Arbore omnia præstare nixum fuisse: Scio enim, unum hominem non omnia præstare posse; ansam tibi præbui, ut tu, si modò mediocriter diligens es, eam compleas & adaugeas.

Porro in allegando Speculo Marantæ scias me editionem Francofort. Anno 1586. secutum, itemq; in Petri Frideri tractatibus editionem Francofort. Anno 1597. imitatum esse, ne quis arbitretur, errorem ratione numerorum marginalium esse commissum. Si quæ fortè etiam errata Typographica irrepserunt, ea Lector candidus pro sua legalitate corrigat; temporis angustiâ præclusus Exemplar impressum perlegere, atque errata colligere non potui. Hisce vale, & meis laboribus fruere.

ARBORIS